



**Francisci Monacelli Eugubini J. U. D. Protonotarii  
Apostolici, olim Ecclesiæ Venusinæ, ac deinde Æsinatis  
Vicarii Generalis, &c. Formularium Legale Practicum Fori  
Ecclesiastici**

In Quo Formulæ Expeditionum usufrequentium de his, quæ pertinent ad  
Officium Judicis nobile, continentur ; Opus Episcopis, Vicariis Generalibus,  
Aliisque Iurisdictionem quasi Episcopalem exercentibus: necnon  
Confessariis, Parochis, Cancellariis, cæterisque in dicto Foro versantibus,  
apprimè utile ...

In qua præter Supplementum Formularum Fori extrajudicialis, accesserunt  
quamplures Formulæ Fori contentiosi, necnon nonnullæ litteræ Pastorales  
non minùs utiles, quàm necessariæ gubernium Ecclesiasticum  
assumentibus, ab eodem Auctore annotationibus auctæ, sacræ paginæ  
oraculis, & Sacr. ...

**Monacellus, Franciscus**

**Venetiis, 1707**

Benevolo Lectori.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62423](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62423)

# SUBBENEVOLO LECTORI.



IX in lucem edito meo FORMULARIO, tum in numero FORMULARUM, tum in notis, plurimum me defecisse cognovi, BENEVOLE LECTOR. Ut igitur defectibus occurrerem, hanc Secundam Partem addere proposui, modoque bona fide præsto. An verò ejusmodi supplemento opus absolverim, nescio. Hoc unum scio Parænesim istam non absollescere (quod viderim) nec inutilem Præfulibus, nec obviam studiosis esse; & hoc sufficit, ut conatum meum æquo suscipias animo, & si me inornatum secundò perspexeris, non mireris, nam qui scribit ad utilitatem, prout fieri debere monet Apostolus, non amoenitatem, sed bonum, quod est ad finem utile, quærit. Tu monita primæ Epistolæ non obliviscaris, sed pro repetitis hic habeas, & æqui ac boni consulto: fastidiosus autem scribat, si sapit, aut alibi quærat meliora. Decreta Sac. Congregat. Concilii, quæ sæpè allegantur, non solum comprehendunt casum decisum, sed omnes alios casus, qui sub eadem æquali ratione continentur, cum hæc sit anima legis, & non casus propter quem orta est, ut animadversum fuit à Rot. in Romana Pensionis 15. Martii 1694. §. non potest, coram Priolo.

Quoties enim S. Congr. judicat suum Decretum adaptari non posse nec debere, nisi casui proposito, solet rescribere Negative, sive Affirmative in casu hoc: vel ex deductis constare, sive non constare de Jure patronatus, de Matrimonio, de Sponsalibus, de Irrationibili judicio Episcopi: vel attentis &c. non indigere absolute, dispensatione: vel Negative prout jacet. Hæc, inquam, sunt illa Decreta, quæ allegari non possunt ad Decisionem causarum, nisi concurrant eadem circumstantiæ, quæ referebantur in casu particulari proposito. Cætera autem, quæ rationem habent universalem, probè afferri valent, ut Rot. in citata decis. firmavit. De illorum autem existentia non videtur dubitandum, quia ex fonte deprompta sunt: error verò (si adest) solum erit in tempore, fortè culpa Amanuensis, non autem (quod absit) in fictione. Gaude interim, quia animus gaudens atatem floridam facit. Et Vale.

INDEX